

Johannes Jeddelo    Theodor Jortius

**Disputationem Iuridicam De Litterarum Obligationibus Autoritate & consensu  
Magnifici & Ampliſimi ICtorum ordinis In Inclyto & celeberrimo Rosarum Lyceo**

Rostochi[i]: Pedanus, 1623

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730913465>

Druck    Freier  Zugang



J. Jeddeler (Th. North)

R. U. in 1623.





ne vertat S. S. Trias  
TIONEM JURIDICAM

De  
ERARUM  
ATIONIBUS

onsensu Magnifici & Am-  
ni JCoorum ordinis

eleberrimo ROSARUM  
Lyceo

IB PRÆSIDIO  
IS JEDDELOVII  
lenburg J. U. C.

ria cultorum censura sub jicio  
RICUS JORTIUS  
olfat. Flensburgenfis.

XII. Cal. Jan. (15 Dec.)

il. Ex. 148. f. 4.  
i, vel pretio adducti, vel supplicio coacti,  
certamen litterarum, sed animi  
tjus pabulum est Veritas.

OSTOCHI  
MI PEDANI, Acad. Typ.  
M, DC. XXIII.





Quod benè vertat S. S. Trias

DISPUTATIONEM JURIDICAM

De

LITTERARUM  
OBLIGATIONIBUS

*Autoritate & consensu Magnifici & Amplissimi J.Ctorum ordinis*

In Inclyto & celeberrimo ROSARUM  
Lyceo

SUB PRÆSIDIO

JOHANNIS JEDDELOVII

Oldenburg J. U. C.

*Legalis prudentia cultorum censura subjicio*

THEODORICUS JORTIUS

Ex Holfat. Flensburgenfis.

XII. X. Cal. Jan. 1572

Scal. Ex. 148. f. 4.

*Non tanquam Arenarij, vel pretio adducti, vel supplicio coacti,  
descendimus in certamen litterarum, sed animi  
gratiâ, cujus pabulum est Veritas.*

ROSTOCHI

Typis JOACHIMI PEDANI, Acad. Typ.

Anno M, DC. XXIII.



V I R O

*Magnifico, Amplissimo, Consultissimo*

D N. MARTINO von der Meden/

Serenissimo ac Invictissimo Regi ac Domi-

no, Domino CHRISTIANO IV. Regi Danicæ,  
Norvegiæ &c. à Consilijs aulicis,

*Dn. Favitori, Promotori, & Affini meo,*  
*deditissimo animi cultu atatem*  
*suspiciendo.*

S.


MUnere dum conchis, dum gemmis turba superbo  
Omne se fausto regia adorat ovans,  
Hoc mea Musa tibi Themidos depromit ab arca,  
Quod devincti animi est Syngrapha certa mei.  
Munere quo gaudent, quo delectantur amici  
Quos aluit pueros lacte Camæna sacro.  
Quin tua nec dubium est tantillum gratia munus  
Excipiens inter parvula dona locer  
Idq; volo, idq; peto, sic & succensus amore  
Thespiadum, posthac uberiora dabo.  
Si quid vota valent redeat tibi prosperus annus,  
Obliquo quotiens vertitur axe polus.

V. M. & A.

*deditissimus*

Theodoricus Jortius

Autor & Resp.





# Disputatio

DE  
LITTERARUM OBLI-  
GATIONIBUS.



Uod àpud Terent. Heaut. act. 2, sc. 2. altà  
voce exclamat Clinia, ò Jupiter, ubinam est  
fides? nescio an minus rectè etiam ad nostra  
tempora accommodemus. Etenim mundum  
consideremus, immundà scelerum omnium  
colluvie scatebit: Ipsos homines perpendamus,  
non deerunt fallacia: mores contemplemur, erunt corruptis-  
simi: verba examinemus, dulcissimo saepe capto, & fraudis melle  
illinita apparebunt. Immo quicquid in homine est, oculos, su-  
supercilia, frontem, vultum, quem tacitum mentis sermonem  
appellat Cicero in Pison. totum offucijs & inficijs mancipio  
datum & additum iurares: in tantum ut huic remediũ malo  
quàm sperare, desiderare, quàm prestare, dicere multò facilius  
fuerit. Stolidus sit, qui hoc apertiori demonstratione confirma-  
re laboreat. Res ipsa loquitur, suspiria clamant omnium. Ta-  
met si autem hac ita se habent, malig. huius enormitas & fre-  
quentia eò usq. processit, ut quò in exquirendis fallenda fidei  
ambagibus existat quis solertior, eò sublimiori nonnunquam  
honoris columnà (imò columnà) suis ipsius suffragijs dignus  
proclametur: atq. ita per honestos cives non stet, quò minus la-  
tius serpat hoc malum: spem tamen omnem abicere nefas erit,  
cum non adeò virtutum sit sterile seculũ, uti Cornel. Tacitus  
loquitur, ut nò etiam bona exẽpla prodiderit, nec adhuc jura &

A 2

sacra



sacra leges, quae revera sunt *εὐγενῆς καὶ δῶκεν θεῶν*, uti ex Demosth., Marianus, J.C. refert, quamvis interdum sileant, planè ob idè Rep. exempta sint. Prout igitur in alijs juris partibus contrahentium astutia, malitia, calliditas undè quaq̃ frenatur, coercetur, lapsisq̃ omnibus modis succurritur, hoc quosq̃ juri LITTERARUM OBLIGATIONIS dandum est, quae uti non rarò obstat, quò minus honesti viri, quibus aliàs sua probitas, alijsq̃ gratificandi promittitudo, non levis damni esse causa solet, suis creditis nummis ab alijs deceptoribus emungantur, ita evenit quoq̃, ut propemodum hodiè mutui contractus celebretur nullus, in quo illa non adhibeatur. Quamobrem cum illa in primis discenda, discutiendaq̃ veniant, quae sunt quotidiana, & usum in vita communem atq̃ frequentem habent, ex sententia J.C. Pauli in l. legavi 25. pr. ff. de liber. legat. nos operam lusum non iri existimavimus, si LITTERARUM OBLIGATIONIS doctrinam accuratius indagantes, quaestionem unam atq̃ alteram de ea in medium proponeremus.

#### THESIS I.

**D**Uæ autem in Jure civili reperiuntur litterarum obligationis species: quarum una vetus & obsoleta, altera nova usuq̃ recepta, pr. i. *Inst. de litt. oblig.* Unde idem titulus *DE LITTERARUM OBLIGATIONIBUS*, & non *DE LITTERARUM OBLIGATIONE* conceptus est, *Harp. ad d. t. n. 2*

#### II.

Ad veterem & antiquatam litterarum obligationem quod attinet, ea uti stipulatio firmandorum aliorum contractuum causa fuit comparata, priori negotio confirmando adhiberi solebat *Ritter. ad d. t. de litt. obl.*

#### III.

Et hoc duobus modis fiebat. I. Mutuam crediturus pecu-

pecuniam cum accipiente ad argentarium (qui in foro mensam habebat, unde etiam mensularius & trapezita pro argentario dicitur) accedens, ab eo in rationes suas ac tabulas petebat referri, tot vel tot illi ab illo esse credita & annumerata. Erat siquidem publicum argentarium munus, negotijs & contractibus civium intervians, sicut hodiè ferè est Notariorum. *l. 20. & passim ff. de edendo.*

#### IV.

Quo facto dicebatur fieri obligatio nominibus per mensæ scripturam, sive per scripTIONem. Nomina autem in tabulis dicebantur tituli debitorum, præsertim in ijs debitis, in quibus hominum nomina scripta erant, quibus pecuniæ commodatæ sunt. Hinc *Plaut. in Cæcul.* Novi ædepol nomen, nam mihi iñ hoc nomine Dum scribo, explevi totas ceras quatuor. *Vult. ad d. s. d. litt. oblig. n. 3.*

#### V.

Tametsi autem verus nominum solennis formula (à describendis debitorum nominibus appellata) in usu esse desierit, appellatio tamen manet. Unde hodie nomina aliàs pro debitoribus vel debitis ipsis, aliàs pro causa obligationis accipiuntur. *l. pen. & l. fin. C. de conven. fise. deb. Ulp. in l. 1. ff. ad SC. Maced. incertis*, inquit, *nominibus crederet*, i. e. non expresso titulo vel causa obligationis; quoniam nulla liberat honesta, quam verè posset adscribere Macedo ille usurarius. Inde jam nunc dicimus, pecunias esse in nominibus, quæ datæ sunt debitoribus *l. si qui uxori ff. de furt. it. nomina facere, donare, explicare & c. Oldendorp. class. 4. act. 30. post pr. Myns. ad d. s. d. litt. obl. n. 5.*

A 3

2. Unus.

## VI.

2. Unusquisq; paterf. diaria & Calendaria seu tabulas domi habebat, in quibus quicquid per singulos dies accipiebat expēdebatvè perscribebat. His privatis ac domesticis tabulis, præsertim postquam à debitore prout usu receptum erat, obsignatæ essent, fides dabatur, teste *Cicer. in or. pro Cluent. vid. l. 4. §. 1. ff. de pecul. vel, ut Halicarnasæi verba habent, de earum tabularum seu diariorum fide censores quinto quoq; anno iusjurandum à civibus exigebant, lib. 4.* atq; ita obsignatis tabulis inscriptus debitor, etiam citra pecuniæ numerationem, obligatus erat. *l. 1. ff. de ann. legat. Wesenb. in Uag. ad t. 21. h. 3. Inst. n. 20. Mysing. d. l. n. 2. & ibi latè Hotom. & Vult. Sed hæc ratio contrahendi postea ab usu fori recessit, monente Justin. Imp. Inst. h. t.*

## VII.

Nova, & quâ hodiè utimur, litterarum obligatio, variè à Dd. definitur. Rectissimè verò hoc modo: quod sit contractus, in quo debitor, dato spe futuræ numerationis chirographo, cōfiteretur, se ex causâ mutui certam pecuniæ summam accepisse, *d. t. de litt. obl. vers. planè si quis.*

## IIX.

Proximum genus litterarum obligationis contractum asserimus, cum *Vult. lib. 1. jurisf. Rom. c. 40. & Foman. diff. 22. th. 1.* puta tamen, quatenus est in fieri, non quatenus est in esse, *arg. §. 2. J. de obl. junct. l. 19. d. V. S.*

## IX.

Sed an litterarum obligatio sit verus ac proprius contractus? in quæstionem venit. Et quamvis Bartolus, & qui eum sequuntur *in d. l. Labeo 19. d. V. S.* per inficiationem respondeant, eò quod litterarum obligatio non contineat *συνάλλαγμα* seu mutuam obligationis causam

sam, contententes Ulpianum *in d. l. Labeo*. propriè ac  
strictè definire contractum, ita ut mutuum, stipulatio, lute-  
rarum obligatio, pignus &c. sub hanc contractus defini-  
tionem non cadant, quippe quæ ex una duntaxat parte  
obligant: quâ ratione duce hos securus *Alex. in l. 5. n. 4.*  
*ff. de V. Ob.* docuit, si verba statuti de contractu aliquid  
disponerent, ea intelligenda esse & interpretanda de ijs  
contractibus, qui utrinq; sive *ut Ulp. loquitur*, qui ultrô ci-  
troq; obligationem parerent, nec trahenda ad contractus  
ex una parte obligatorios: Attamen cum nedum clavis &  
apertis juris textibus, qui litterarum obligationem con-  
tractibus annumerant, *pro ut est textus in §. f. J. de Oblig.*  
*in pr. infr. de Obl. qua q. ex contr. nasc. in verb. post genera*  
*contractuum enumerata* &c. sed probabilibus etiam ratio-  
nibus affirmativa salvari possit, non videmus cur in con-  
trarium procliviores esse debeamus. Etenim I. Finis con-  
tractuum est, ut producat civilis actio & obligatio *l. J.*  
*de Obl. l. 1. l. quacunq; de Obl. & Act.* sed hanc producant,  
mutuum, stipulatio, litterarum obligatio, &c. *§. 1. 2. 3.*  
*quib. m. re contr. obl. l. ex duob. 7. ff. de duob. reis. l. contra-*  
*ctus 17. C. de fid. Instr. l. ubi a. ff. d. Obl. Instr. b. 2. in verb.*  
*scripturâ obligetur* &c. II. Omnis conventio est aut pa-  
ctum nudum, aut contractus, *l. 1. §. 3. l. 5. l. 6. l. 7. ff. de*  
*paët.* Sed hæc nuda pacta non sunt, quod vel exinde ma-  
nifestum evadit. quod nudum pactum saltem exceptio-  
nem parit, non actionem *d. l. 7. §. 4. ff. de paët.* cum hoc  
de stipulatione, mutuo, litterarum obl. dici nequeat, *ut*  
*supr. ostensum, & textu insup. sunt in l. 1. §. eum qui 4. ff.*  
*de cons. pec. §. 1. & seq. J. quib. m. re contr. obl. l. non omnis*  
*ff. d. reb. cred.* Contractus ergo sunt. Nec enim ex vin-  
culo utrinq; obligatorio, sed negotio ipso ad obligatio-  
nem producendam idoneo contractus substantiam meri-  
mur,

mur, atq; ita contractum à nudo pacto secernimus, quem rectè nobis definire videtur *Gæd. ad d. l. Labeo n. 17.* ultrò citroq; conventionem, sive pactum obligandi negotium habens *ex d. l. Labeo & l. jurisgent. 7. d. pact.* Quod igitur in *sepe, allegata l. Labeo* de obligatione ultrò citroq; dicitur, id non ad obligationem referendum, q. d. utrinq; obligationem parere, sed elegantè & juridicâ subauditione. de conventionem ultrò citroq; consensu interveniente, ac obligationem inducente intelligi potest & debet *arg. l. 6. §. 3. ff. d. edendo, prout hoc ipsum multis demonstrat Gædd. d. l. n. 18. & seqq.*

X.

Hic non incommodè sibi locum vendicat & hæc quæstio; An in ff. hujus litterarum obligationis fiat mentio; Quod negandum ducimus. Cumentim olim exceptio non numeratæ pecuniæ fuerit perpetua, adeò ut nominum obligatio, cujus in ff. mentio fit, semper eâ elideretur, ut notat *Cujac. h. in pr. & probatur h. in verb. sapissimè constitutum est. & in verb. principalib. constitutionib. & l. ult. de Const. pec.* quid obstat, quò minus validè exinde concludamus, hanc rationem obligandi veteribus incognitam fuisse, & uti Imp. demum Constitutionibus introductam & temporariam factam *Inst. h. r. f.* ita etiam planè esse novam? *Cujac. d. l.* Et huic utpote veritatis sale optimè conditæ sententiæ non exiguum probationis lumen vel ex eo affulgere videtur, quod Jcti. prætermisâ hac contractuum specie, triplici duntaxat ratione, videlicet re, verbis, aut consensu obligationem contrahi annoverint *in l. 1. §. 1. de Obl. l. 1. §. 1. ff. de Novat. l. Gracè §. 1. ff. de fidejuss. l. 4. de Obl. l. 1 §. 3. de pact.* Et quis hoc novum dixerit, quod vicissitudo succedentis seculi postulet alias atq; alias legum & negotiorum formas,  
Olden-

Oldend. d. l. p. (mibi) 611. in m. Neq; est quod Hotomanus, adductus l. *Thais* 41. §. f. ff. de fideicom. liber. & l. 1. ff. de ann. leg. Tribonianum exitimet hallucinatum in d. l. 1. d. novat. d. l. *Gracè* & d. l. 1. d. Obl. literarum obligationem expunxisse: siquidem Jcti non agnoverunt talem litterarum obligationem, quæ exceptione non numeratæ pecuniæ labefactari haud posset. Sicut enim non accipitur Creditor, qui agens perpetuâ exceptione removeri potest, l. *creditores* 16. l. *creditor* 55. d. *V. S.* ita neq; intelligitur ille litteris obligatus, qui actionem exceptione non numeratæ pecuniæ perimere potest, arg. dd. ll. Nam quod juris in uno statuitur relatorum, etiam in altero statui necesse est, per *vulgatissima*.

### XI.

Causa efficiens contractus hujus est Jus Civile. Litterarum enim sive instrumentorum proprium est, ut non tam ad inducendam obligationem, quam ad probationem effectum suum exserant, l. *non figura* 38. de Obl. & A. l. *miles* 75. de legat. 2. l. *in contractib.* 14. C. de non num. pec. Tempus quoq; non est modus constituendæ neq; finiendæ obligationis l. *obligationum* 44. §. 1. d. O. & A. Utriusq; autem contrarium in contractûs hujus obligatione constituendâ apparet.

### XII.

Causa impulsiva sita est in spe futuræ numérationis d. l. *in contractibus* 14. uti enim pecuniâ indigentes nisi hac impellerentur, nunquam ad conficienda instrumenta animum essent applicaturi, ita vel decies propter affectiones, quas habent ad consequendas pecunias, conficerent confessionem, si modò spe aliqua titillarentur adipiscendi.

B

Obje.

### XIII.

Objectum sive materia circa quam est pecunia, quæ debetur ex causa mutui, non quidem facti, sed facienda, *l. adversus petitiones C. de non num. pec. in verb. quasi credita pecunia petitur*, & quæ debetur sine aliqua stipulatione, *Inst. h. t. in verb. cessante sc. verborum obligatione*.

### XIV.

Sed hoc loco se offert dubitationum procellis variè agitata & concussa quæstio: An in solo mutuo hic obtineat contractus? Nos salvo aliorum iudicio in castra Dd. affirmativam tenentiam concedimus, *per l. generaliter C. de non num. pec.* Nam si ex alia causa, utpote depositi, emti &c, quis scriberet & confiteretur se v. g. centum debere, tunc talis confessio obligat confitentem & contra eum probat, *textus est in l. publica §. f. ff. de pos. & in d. l. generaliter*. Quod in tantum verum est, ut etiam deponens vel alius creditor ultra confessionem à depositario vel debitore alio factam debitum probare non compellatur *d. l. in contractib. §. sed quoniam*. Indignum enim nimis esse iudicamus, *inquit Imp. in d. l. generaliter inf. pereleganti ratione*, quod suâ quisque voce dilucidè protestatus est, id in eundem casum infirmare, testimonioque proprio resistere. Manet igitur regula: quod scripturæ stet, donec contrarium probatur. *l. 18. C. de probat. & ibi Gothof. ad verbum Probare*.

### XV.

Quamvis autem hoc ita revera se habeat, receptam tamen est, ut idem quoque extendatur ad sponsum confitentem per chirographum sibi dotem esse traditam à socio suo, quæ tamen in rei veritate non est tradita, *l. in contractib. §. ult. inf. C. de non num. auth. quod hodie C. de dote*

*dote caut. non num.* Ratio specialitatis est, tum quia in his contractibus frequentius quam in alijs contingit, quod cautio fiat ante numerationem: debitor siquidem à creditore pecuniam accepturus, non potest eam consequi invito creditore, nisi cautionem illi prærogaverit, & ita hoc officio creditorem invitet ad pecuniam dandam, sperans se eam consecuturum, quoniam creditor pecuniam credere non cogitur: Idèd jura, quæ adaptantur potius ad ea, quæ accidunt frequenter, quàm quæ perrarò eveniunt. *l. nam ad ea ff. d. de Ll.* specialiter in his duobus casibus prospexerunt. *Schn. h. n. 15.*: tum etiam quia eadem hîc subest facilitatis suspicio: Quid enim sponsus, quem Venus cruciante quadam libidine titillat non scribit? quid non agit? ut sponsâ, tanquam in cujus corpore animus illius vivit, *uti M. Portium Catonem dixisse notat Forst. in hist. jur. Rom. lib. 2. c. 19. n. 23.* potiatur: Quæ ratio facilitatis cum in omnibus alijs contractibus cesset, scriptura sive chirographum adversus scribentem habet vim veræ probationis, solâq; scripturâ agens viti potest, *uti ante dictum;* *Myns. d. l. n. 5. Fomm. d. disp. th. 2. litt. C. Oldend. d. t. Wesem. in d. Usag. ad t. 21. li. 3. n. 27. Harp. d. l. n. 8. Dissent Cuj. in par. C. d. non num. pec. in f. producens hanc litterarum contractum etiam ad alia negotia. Aliter Kitzel. in exeges. de Obl. mutui c. 8. n. 6.*

## XVI.

Causa formalistria complectitur: quorum unum est scriptura *Inst. h. l. in verb. planè si quis debere se scripserit.* Quia si debitor confitetur sine scriptura, obligatio litterarum non est. *Salic. d. l. generaliter,* nec citra scripturam hæc potest exoriri obligatio. *Kitzel. d. l. n. 10.* Alterum est, quod pecunia quam quis se debere & accepisse scribit



nondum sit an numerata *d. t. Inst. d. Obl. lit.* Tertium  
est expressio causæ, ex qua debeat *d. l. generaliter 13. C.  
de non num. pec.*

XVII.

Finis est ut pecunia mutua eò facilius comparetur,  
nùm ut creditori hoc ipso magis cautum sit de subsequen-  
tâ pretij numeratione *arg. d. l. generaliter.*

XIIX.

Effectus est triplex 1. Obligatio. *Inst. h. t. in verb. scri-  
pturâ obligetur.* 2. Actio *Inst. eod. in verb. nascatur condictio.*  
3. Exceptio *d. l. (ibi) ultra biennij metas exceptio & c. &  
l. 14. pr. C. de non num. pec.*

XIX.

Obligatio consideratur antè biennium, à tempore  
contractûs computandum, vel post. Prior illa quamvis  
actionem producat, tamen exceptione non numeratæ  
pecuniæ actio ista eliditur. *J. h. t. d. l. in contractib. in pr.*  
Altera plena est, & necessitatem solvendi continet.

XX.

Hæc utrumné merè Civilis, an verò civilis & natu-  
ralis simul, in quæstionem venit? Resp. Si nudè & sim-  
pliciter ad jus naturale exigatur prius affirmandum erit.  
Deest enim consensus: siquidem scribens tum demum so-  
vult obligari, si pecunia numerata. Adhæc à naturali æ-  
quitate alienum est, quem cogi restituere id, quod non  
accepit *l. nam hoc natura. de Condi. Indeb.* Verùm pro ut  
jus civile non in totum à jure naturæ recedit, neq; etiam  
per omnia ei servit *l. jus Civile ff. de J. & J.* ita quoq; hoc  
in casu jus naturale, de quo dictum, ex alia æquitatis  
ratione determinatur, & post biennium obligationem  
illam firmam & ratam esse jubet. Imputet enim suæ ne-  
gligen-

gligentia debitor, quod tempus præterlabi passus, & vel creditorem ad numerandam pecuniam urgere vel cautionem datam condicere superfederit *J. h. t. ibi: sed ne creditores l. si quasi C. de non num. pec.* Quin etiam cum lex sit communis Reip: sponsio *l. 1. d. Ll.* censetur debitor per lapsum biennij in obligationem consensisse, juriq; suo renuntiassse *l. alienationis d. V. S.* Hac distinctione adhibita Dd. hac de re sententia conciliari poterunt.

### XXI.

De Actione similiter controversant Interpp. qualis nam ea sit? Quidam conditionem ex lege esse statuunt, cum non sit cautum, quo genere actionis agatur, *l. 1. de Cond. ex leg. Johan. Fab, Inst. h. t. n. 17.* Quidam eo actionis genere experiendum autumant, quod convenit causæ hujus contractus, *Leg. in method. p. 4. c. 44.* Rectius *Bart. in l. 1. de cond. ex leg.* actionem ex ipso contractu seu obligatione litterarum competere. Nam si obligatio ex litteris oritur, utiq; conditio ex litteris perhibetur proficisci, potius quam ex lege. Lex enim non introduxit istam actionem immediate, sed mediante negotio dati chirographi. *Foman. d. disp. 22. thes. 3. litt. b. Mynsing. d. l. num. 12. Oldend. d. class. 4. act. 30. p. (mihi) 611. pr.*

### XXII.

Ceterum hæc actio conceditur Creditori chirographario; tam ei qui cautionem exposuit de dote promissa, quæ post contractas non est numerata nuptias *Nov. 100. it. heredibus creditoris l. 8. C. de non num. pec.* adversus eum, qui manu suâ scripsit, aut subscripsit chirographum, ejusq; fidejussorem, uti etiam adversus eum, qui dotem cautione receptâ promisit, sed minimè numeravit;

B 3.

item.

item in heredes debitoris, uti regulariter actiones Civiles alie, d. l. si intra 8, Oldend. d. l. p. 612.

### XXIII.

Quandoquidem aliquando in chirographo præfixus solutionis terminus exprimi solet, ideò Creditor hac quidem actione statim ab ipso tempore constituto expectari potest, aut si nullum est, eo secundum communem usum moderato: Efficaciæ verò nihil ea habet ante biennium, ea propter quod interim oppositioni exceptionis non numeratæ pecuniæ (de qua mox diceretur) obnoxia sit. Secus si post biennium exerceatur, tunc enim etiam si numeratio secuta non fuerit, efficaci vi munita est, d. l. si intra 8 & l. in contractibus in pr. C. de non num. pec.

### XXIV.

In simplum autem actio hæc competit: Intentatur enim ad hoc, ut quod cautum est solvatur: quamvis præter rem etiam interesse petatur l. 3. §. in hac. ff. commod. Etenim id rei ita est connexum, ut in ea, ceu consequens, sit computandum. Principale verò non consequens est inspiciendum l. i. ff. d. aut. tut.

### XXV.

Quia verò improbi & obæcati debitores, turpissima illa officiarum mancipia, verecundiæ nescia & pudoris ignara beneficijs beneficia non dicam, non compensare, sed quod summopere dolendum, ne mutuò quidem accepta reddere, teste Comico in Trinumm. imò ut plurimum abjurare, atq; eo modo homines benevolos suis numis perquam fraudulentè emungere solent, nequicquam attendentes, quod sit contra naturalem æquitatem, cum alterius damno locupletari velle, ideò necessarium

rium est visum Majestati Imperatoriae indecētes & turpes abnegationes poenae subicere. *N. 18. c. 8.*

### XXVI.

Quare ex post facto actio hæc mista est & in duplum adversus eum datur, qui manum siue scripturam suam abnegat, vel numerationem in ea contentam inficiatur, si postea convincatur mendacij *auth. contra in pr. C. de non num. pec. d. N. 18. c. 8. ibiq. Gothof. litt. f. Oldend. d. l. Harp. ad h. t. n. 9.*

### XXVII.

Si tamen delato postea juramento confiteatur & agnoscat chirographum, non punitur, nisi in expensas circa probationes factas, actoris juramento declarandas, *d. auth. & d. N. vers. Hac autem dicimus, & ibi Gothof. litt. h. Schneid. ad h. t. n. 21.*

### XXIIIX.

Planè si post numerationis negationem solutionem prætendat, etiamnum solidum exsolvere cogitur, utcumq; cautiones quasdam solutionis à se in partem debiti factas exhibeat. Non enim prodest ipsi jam facta solutio, *d. auth. contra & ibi Goth. Schn. d. l. idq; propter odium impudentis mendacij, cujus poena hæc est, ut nequidem vera dicenti fides adhibeatur. Salicet, ad d. auth. contra.*

### XXIX.

Cautione datâ chirographariâ, nec tamen ex ea numeratâ pecuniâ, habet debitor conditionem ad repetendam eam *l. si quasi C. de non num. pec. ibiq. Gothof. litt. A. l. qui sine ff. de cond. sine caus. Oldend. d. l. Harp. d. l. n. 6. Kitzel. in Exeg. de Obl. mut. c. 8. n. 17.*

Eadem

## XXX.

Eadem præterea actione & poenâ, quâ debitor menti-  
tiens, creditor, si à se datam de solutione syngrapham à  
reo prolatam negaverit, tenetur, *d. auth. contrâ.*

## XXXI.

Tametsi deniq; per hanc actionem non stat, quò mi-  
nus illæsa maneat existimatio, nunquam tamen bonus  
vir inter alios reputatur is, qui suæ manûs scripturam,  
vel veram numerationem calumniosè inficiatur, *ut rectè  
& verè perhibet JC. Oldend. d. l.*

## XXXII.

Exceptio ex hoc contractu proveniens, saluberrim-  
um Reorum ad defendendos se adversus Actorum  
petitiones præsidium, quâq; tanquam clypeo Actorum  
tela excipiendo propulsant, indigitatur non numeratæ  
pecuniæ, cuius fit mentio in *§. idem juris 2. J. d. Except.*  
& in *d. l. si quasi & t. t. C. de non num. pec.* quâ reus non  
negat confessionem, sed numerationem sibi factam esse,  
*Schn. ad h. t. n. 9.*

## XXXIII.

Circa exceptionem hanc quatuor hæc consideran-  
da veniunt: 1. in quibus causis frequentetur. 2. Cui &  
adversus quem datur. 3. quis ejus sit effectus. 4. Quæ  
contraria & quomodo tollatur.

## XXXIV.

Cum autem litterarum obligatio saltem in causa  
mutui & dotis fundetur *supr. th. 15.* sequitur exceptio-  
nem hanc easdem causas respicere, *l. adversus §. l. 14. §.*  
*ult. in f. & l. pen. (ibi) vel dotis vel alterius (i. e. mutui*  
*Harp. J. ad h. t. n.) causa nomine. C. de non num. pec. Myns.*  
*h. n. 9. Schn. n. 15. Diff. Petrus Heig. h. n. 19.* cum alijs ab ipso  
relatis, qui hanc etiam ad alios contractus extendunt.  
it.

it. Kitzel. in Exegef. de Obl. mutuc. §. n. 6. ubi eam ad so-  
lam creditæ pecuniæ cauffam restringit.

### XXXV.

Nisi maritus præter instrumentum dotale etiam apo-  
châ caverit, se dotem recepisse, tunc enim exceptio hæc  
locum non habet, per l. 14. §. sed quoniam 1. C. de non  
num. pec. & ibi Goth. Cujac. ad N. 110. in f. Fomm. disp. 22.  
th. 11. litt. c.

### XXXVI.

Non solum debitori, sed & heredibus ejus tribuitur,  
ita tamen, ut in herede continetur tempus, quod restabat  
defuncto ad exceptionem. V. G. Intra annum à dato  
chirographo, debitore rebus humanis exempto eadem  
quidem transit ad heredem exceptio, sed intra annum  
tantum, quia ad querimoniam movendam tantum  
temporis duntaxat relictum erat defuncto. l. si intra  
§. & ibi Goth. C. de non num. pec. Zang. in tr. de Except p.  
3. c. 14. n. 48.

### XXXVII.

Sed gravis hoc loco occurrit quæstio: Quando  
tempus reliquum, quod heredi conceditur, cedit? Et  
statim à die mortis debitoris non expectato tempore ad  
itæ hereditatis cedere defendemus per l. in contractibus  
14. pr. C. de non num. pec. ubi dicit Imp. quod hæc exce-  
ptio intra biennium continuum, quod computari inci-  
pit ex die quo scriptura emissa est, objici debeat. Quid  
igitur refragatur, quò minus firmiter concludamus, bi-  
ennio elapso, heredi hanc exceptionem amplius com-  
petere non posse, ne plus tribuatur heredi, quam tribue-  
retur, si etiamnum superstes fuisset, defuncto? per l.

C

ceptam

ceptam 40. ff. de Usurp. Harp. d. l. n. 40. Zang. d. l. n. 49. & seqq. ubi ad l. 5. §. ult. C. de tempor. in integ. rest. quæ huic sententiæ opponi solet, responder.

### XXXIX.

Datur præterea hæc exceptio rei principalis fidejussoribus & mandatoribus, l. tam mandatori 12. C. de non num pec. Kitzel. d. l. n. 14. Rittersh. ad h. t. Inst. p. (mibi) 462. circ. f.

### XXXIX.

Possunt deniq; creditores, qui res debitoris, à quo chirographaria cautio est scripta, tenent, hanc à va p p e i a s exceptionem rectè objicere l. pen. C. d. t. Rittersh. d. l. Hactenus quibus datur.

### XL.

Conceditur Except. non numeratæ pecuniæ adversus creditores, qui cautionem scriptam à debitore acceperunt l. adversus 5. l. si intra C. d. t. & ibi Gothof.

### XLI.

Item adversus creditoris heredes & successores d. l. si intra: Est enim in rem & datur adversus petitionem pecuniæ numeratæ, ut ita ubicunq; hæc petitio est, ibi & exceptio hæc locum habeat, §. idem juris 2. J. de Except. At petitio hæc creditori ejusq; heredibus, qui in defuncti jus succedunt, arg. l. ex depositi 12. & l. 49. ff. d. O. & A. l. nihil aliud 24. d. V. S. tribuitur.

### XLII.

Nec refert sive simpliciter scripto, sive ultra id jurjurandi religione, sibi caveri fecerit callidus creditor, l. ult. C. d. t. Quia tale juramentum habet in se ean.

eandem conditionem cum principali obligatione, si pecuniam acceperit, *Bart ad d. l. ult.* quam conditionem importat verbum **REDDENDI**, chirographo insertum, quod præsupponit, aliquid prius esse datum, *ex l. verbum 94. d. V. S. & l. cum quidam ff. d. leg. 2.* proinde ob defectum promissæ à creditore numerationis, renunciatio debitoris jurantis simul etiam deficit *Kitzel. d. l. num. 23. Harp. ad d. S. idem juris 2. Oldend. d. l. p. (mibi) 614.*

### XLII.

Effectus hujus exceptionis est, quod ut maximè in ceteris judicijs, veluti actor, suam actionem, ita & reus suam exceptionem, in quâ opponendâ actoris partes sustinet, probare teneatur *l. in except. 19. ff. de prob. ea tamen rectè opposita onus probandæ numerationis in creditorem transferat.* illius exceptioni tantum abest ut fides non adhibeatur, ut etiam absolutio eam consequatur, nisi petitor aliunde, quàm ex rei chirographo numerationem probare possit, *Myns. Inst. ad h. t. num. 8.* idq; ob defectum non juris, sed probationis, *l. si ex cautione C. d. t. Vult. lib. 1. jur. Rom. c. 40.* Qua de causâ eam Exceptionibus irregularibus & anomalis accenseri non sine ratione dicit *Kitzel. d. l. n. 24.* imò à jure privilegiatam esse, afruit *Schneid. ad d. t. Inst. n. 10.* Ratio est, quod præsumit legislator pecuniam non esse numeratam: idq; in odium foeneratorum, qui plerumq; sycographas ante numerationem exigunt, *Myns. ad h. t. n. 8. Harp. n. 9.*

### XLIII.

Contraria quod attinet, tempus huic exceptioni præstitutum biennium est; intra quod opponi debet, *l. in contractib. 14. C. de n. n. pec. S. idem juris J. d. Except.*

C 2

Quod



#### XLIV.

Quod si verò biennio præterlapso, exceptionem hanc objiciat, non audietur, sed tam debitor, quam heres ejus, etiamsi vel pupillus sit, debitum omninò solvere compellentur, *l. si intra 8. in f. & ib. Goth. C. d. t. Kitzel, d. l. n. 27.*

#### XLV.

Quod in tantum verum est, ut ne quidem Jusjurandum adversario deferri possit, *l. in contract. 14. §. illo C. h. t. Cui enim non licet excipere, ei neq; jusjurandum deferre licet, Goth. ad d. l. Vid. Rittersh. ad h. t.*

#### XLVI.

Succurritur tamen debitori, si creditor malitiosè differat actionem, quò ad tempus exceptioni præfixum elaboratur, ut si intra biennij metam questus sit de pecunia sibi non numeratâ, huic exceptioni perpetuò locus sit, *l. si intra 8. & l. 14. §. 4. C. de n. n. p.*

#### XLVII.

Quomodo autem hæc querela debeat proponi, docet *auth. Hanc autem. C. d. t. Myns. h. t. n. 10. Oldend, d. l. pag. 614.*

#### XLVIII.

Cùm autem post biennium frustra opponatur except. non num. pec. magna Interpp. controversia est, Quid dicendum, si debitor chirographo fuerit confessus, sibi ante aliquot menses, vel etiam annum, pecuniam esse numeraram? Putamuseum, non obstante illâ confessione, exceptionem istam nihilominus intra biennium opponere posse, *per l. 8. l. 14. pr. C. h. t. quæ, uti & aliæ leges*  
exce,

exceptionem hanc concedentes, loquuntur generaliter nullâ adhibitâ distinctione. Tralatitium autem hoc est, quod legibus non distinguuntibus nec nostrum sit distinguere. Stamus igitur generalitati legum. Adhæc quâ facilitate spe subsecuturæ numerationis quis confitetur se pecuniam accepisse, eadem ad confitendam sibi pecuniam ante aliquot menses numeratam esse à creditore induci poterit, *Zang. in tr. d. Excep p. 3. c. 14. n. 30. Kitz. d. l. n. 7. & seq.*

### XLIX.

Omniū autem intricatissima ac dubitationis plenissima est quæstio: An exacto biennio in modum exceptionis regularis rectè exceptio non num. pec. objiciatur, si reus se offerat ad probandum ex certis circumstantiis sibi nunquam fuisse pecuniam annumeratam? Sed quoniam Negantium sententia apertissimis fundamentis & juris textibus nititur, ut ab ea discedamus, nullo argumento adduci possumus. Pro hac confirmandâ *l. facit*, quod juxta prædicta ex omiſſa hac exceptione intra biennium, litterarum obligatio promanet, *J. b. l.* necessariò itaq; sequitur, reum conventum ex definitione obligationis necessitate adstrictum esse ad solvendum id, quod in chirographo continetur: cujusmodi solutionis vim, oblatio ad contrariam probationem, non obtinet: Siquidem dicere pecuniam non esse numeratam, & illud velle probare, non est solvere, sed solutionem creditori denegare, nedum sit satisfacere? *l. 1. ff. qui satis. cog.* & qualis quæſo esset obligatio litterarum tandem, si non effectum aliquem esset habitura? Nullum verò sortiretur unquam effectum, si ei objici in perpetuum posset exceptio. Quare quia obligationem suam finem con-

sequi oportet, exceptioni non num. pec. præscribi non  
posse necessario constitutum est ab Imp. Justin. in *Inst. h.  
t. & l. 14. C. de n. num. p.* II. Quod Exceptiones sua  
naturâ sint perpetuæ *l. 5. l. si pactum 6. C. de Except. Wesenb.  
in Isag. Inst. ad h. t. n. 24:* protestatio autem demum adhi-  
benda sit, ut hæc fiat perpetua *d. l. 14. §. 4. C. d. non n. p.*  
III. Quod verè debitum appellari nequeat id, cui per-  
petua potest obstare exceptio. *l. 40. pr. C. de Cond. Indeb.*  
Atqui quod post exactum tempus heres pupillus solvere  
compellitur, verè *DEBITVM* appellatur in *l. 8. inf. C. h. t.*  
IV. Quod heres legitimo tempore prælapso *OMNIMODO*  
debitum solvere cogatur *d. l. 8. inf. C. eod.* quod verbum  
hoc importat, ut quocunq; etiam modo se audiri postu-  
let heres, ne solvat, nihilo minus tamen omni isto modo  
præscripto solvere cogatur. Et deniq; quod à biennio  
ex prohibitione Justinianea querela non num. pec. *NVL-  
LOMODO* introduci possit *l. 14. pr. C. eod.* Qui autem  
*ULLOMODO* introduci vetat, quamcunq; viam contrariæ  
probationi præcludit: stante hoc, non videmus qui lo-  
cus querelæ debitoris etiam onus probandi in se recipien-  
tis possit dari. Nec movet, quod dissentientes ad alla-  
ta respondeant, ea quidem procedere exceptione non  
num. pec. in modum exceptionis anomalæ objectâ, citra  
susceptum probandi onus, secus verò esse probandi one-  
re in adversarium non rejecto, quo casu omnes exce-  
ptiones perpetuæ sint: *V. fund. 2.* proindeq; quò minus  
hoc liceat, isq; qui probat, victoriam obtineat, nihil im-  
pedire. Cum enim hæc: *Omnimodò solvere compelli,*  
*& aliquo modo solvere non compelli:* it. *nullo  
modo introduci posse querelam,* *& aliquo modo in-  
troducisci posse contradictoria* sint, quorum unum semper  
argui-

arguitur falsitatis & mendacij ab altero, ex effato Logi-  
corum; eaq; quæ claris & apertis juris textibus sunt fun-  
data, veritatem sapiant, istam responſionem necessariò  
de jure civili falsam esse, quis non videt? utrunq; con-  
trarium à CC. approbatum & usu fori observari, propte-  
rea quod lapsus biennij inducat tantùm juris præsumtio-  
nem, quæ admittit contrariam probationem *Bald. in l. se  
ex cautione n. 13. & seq. C. h. t. testetur à nobis alioquin  
stans Zang. in tr. de Except. li. 3. c. 14. n. 66. & seq. Donell. li.  
14. comm. c. 38. Riemer. dec. 10. quaest. jurid. q. 8. ubi hanc  
sententiam elegantissimis fundamentis propugnat. Ket.  
Zelius loco allegato. In contraria opinione multi itidem  
sunt magni nominis viri Treutl. vol. 1. d. 20. th. 2. litt. C.  
Vult. Inst. ad h. t. in f. & lib. 1. jurisp. Rom. c. 40. Schn. eod.  
n. 11. Foman. d. disp. 22. th. 3. litt. B. Wesf. in Isag. Inst. h. t.  
n. 26. Hanon. disp. 15. th. 15. cum ibi allegatis.*

#### XL.

Facit quoq; cessare beneficium non num. pec. si de-  
bitor fidem cautionis vel chirographi quocunq; modo  
agnovisset *l. cum fidem. 4. ibiq; Dd. C. d. non n. pec. & si quæ  
sunt alia quæ exceptionem hanc perimunt, de quibus  
Schneid. ad h. t. n. 18. Harp. n. 48. Et tantum de hac juris  
materia. Si præter humile & tenue nihil adjecit Miner-  
va, claudat hoc illud PROPERTII:*

*Quod si deficiant vires, audacia certè  
Lauſerit, in magnis & voluisse sat est.*

Corol.

# Corollaria.

## I.

*An Advocatus ad decipiendum suum adversarium licitè queat uti fallaciis & deceptionibus? In bona causa affirm. si tamen ijs utatur absq; mendacio, perjurio, & morsu conscientia. In mala simpliciter negam. siquidem cognitâ causâ qualitate malâ in ea nemo debet advocacionem præstare l. 14. §. I. C. de judic.*

## II.

*An rebus judicatis (quæ vulgò præjudicia dicuntur) judex stare teneatur si allegetur: Es sey also offte in diser Sach gesprochen worden? D. aut enim quispiam præjudicia allegat in casu aperto, à legibus deciso, aut in disputabili, dubio, ac non deciso in jure nostro: Posteriori casu simpliciter affirm. priori non item. Neq; enim quid contra approbata sapius recipiendum. l. I. C. quæ sit long. consuet:*

## III.

*An par sit crimen falsorum monetariorum, & illorum, qui ab his monetam ejusmodi accipiunt quos perquam honorificè appellamus Die Ripper vnnð Wipper? Affirm. absq; horum enim operâ oleum & operam perderent isti monetarij, referente BOCERO in tr. de jur. mon. c. 5. n. 27.*

## IV.

*An mater suo potius proprio lacte, quàm nutricum infantem alere teneatur. A. modò sit in sano corpore constituta. Præterquam enim quod ex autoritate Galeni mores animi sequantur temperamentum corporis, atq; ita metuen-*  
*dum.*

dum sit, ne unâ cum lacte nutricum, qua ut plurimum sunt meretricula, lasciva, leves, incontinentes, & quasvis fabulas alendis proponunt Plut. in li. περὶ παιδῶν, mores corruptissimos imbibant & assumant infantuli: etiam natura ideò ubera matribus distenta lacte dedit, ut ipsa infantulos suos, alerent & lactarent Plut.

### V.

Num ludo etiam legibus non probato amissa repeti hodie possint? N. si modò dolus & fraus qua nemini prodesse debet, absuerit, & ludens habuerit liberam bonorum administrationem; aliàs enim servatur jus commune. Rybach. quæst. jur. cent. i. decur. 4. q. 7. ubi etiam Lipsenses p. 5. consult. sonstir. Saxon. quæst. 7. pro victore pronunciare ait.

### VI.

Num libri studiosorum pro pensione locationis tacite nexui pignoris suppositi censantur? N. Tum quia nunquam rerum obligatione generali continentur ea, qua verisimile est quenquam obligatum non ire, l. obligatione 6. & seqq. de pignor. & hyp. tum etiam quia prudentissimè cautè est, ne instrumenta ad agriculturam necessariò pertinentia ab ullo creditore pignoris causa occupentur, l. exactores 7. & auth. agricultores C. quæ res pign. obl. poss. Id quod optimo jure etiam ad libros studiosorum transfertur, per ea qua tradit Harp. ad §. item Serviana 7. j. d. act.

### VII.

An rivalis interficiens rivalem ordinaria L. Cornel. pœna sit obnoxius? A. quamvis enim nihil amoris furores vehementius esse videatur, dicente ipso Justin. in N. 74. c.

D

4. 10-

4, tamen praterquam quod nullâ lege approbetur, cum sit etiam voluntarius, atq; ita cum latâ culpâ concurrat, tantus non est, ut excusationem mereri queat. Et quis negabit ejusmodi homicidia ut plurimum uti destinatâ voluntate, ita etiam impatientiâ consortis fieri solere? Gail. li. 2. obs. 110. n. 23.

### IIX.

An ob defensionem sua pudicitia rectè quenkumq; è medio tollat puella? Aff. per. l. 1. §. 4. ff. ad L. Cornel. de ficar. Si enim ob vita defensionem alterum licet interimere, l. 3. de J. & J. l. 4. l. 5. l. 45. §. 4. ad L. Aquil. l. 2. l. 3. l. 4. C. ad L. Corn. de sic. & verò metus pudicitia viris bonis & inprimis puella, major esse debet, l. 8. §. 2. ff. quod met. causi. quàm mortis d. l. 8. §. 2. & l. 2. §. 24. in m. ff. de O. jur. quidni etiam ob pudicitia defensionem hoc ipsum, puella licebit? In est enim illud quod minus inesse videtur; Ergo multò magis illud inerit, quòd magis inesse videtur.

### IX.

An sanguis ex occisi vulnere erumpens astante incusato sufficiens ad torturâ indicium contra eundem prabeat? N. I. quia ad torturam requiruntur indicia certa, clara, ac ad ipsum delictum commissum directâ. l. 1. §. 1. ff. de quæst. l. 8. §. oportet C. eod. II. Quia quicquid à diversissimis, dubijs, occultis pendet causis, id homicida non potest attribui. At tale quid est effluxus cruoris. Etenim dubium & incertum planè est, an divinitus, an verò diabolicis captionibus; an singulari affectione, an verò sagarum delusione; an commotione cada-veris nimia, an verò residui cruoris copia uti ex Lemn. li. 2. de.

de occult. nat. mirac. c. 7. Dd. notant, *cursus ille cruoris*  
*oriatur. Quapropter non immeritò ridiculos & irrationa-*  
*les eos vocat Kubach. d. l. dec. i. q. 9. qui presentiam*  
*homicida causam adaequatam illius cruoris effluxus dicunt.*

X.

*Ecquid iudex secundum acta & probata, non obstante,*  
*quod sciebat rem aliter se habere, judicare debeat? Aff. modò*  
*tamen hoc faciat cum protestatione conscientia sua, maxime*  
*in criminalibus causis. l. illicitas c. 8. Veritas. 1.*  
*de Off. praes. junct. l. 4. ff. fam.*  
*hercisc.*

Soli laus Deo.



*Prestan-*





*Præstantissimo & Doctissimo,*  
Dn. THEODORICO JORTIO,  
*affini meo mellitissimo.*

*C*autio facta fuit nullis ambagibus olim,  
*religiosa satis simplice firma fide.*  
*Exprimet astutas condignè nemo cavillas*  
*ætatis nostræ: candor omissus ubi?*  
*Scripta tabella locum, tempus subnectit amussim*  
*testibus admotis: thetor aperta negat.*  
*Incoràm promis panchrestum scemmate docto,*  
*hanc medicaturus quo, Theodore, lepram.*  
*Pergito, tela placet, non ampullaberis arte,*  
*justitia invenies queis studuisse labor.*  
*Baldus equis vehitur, tribuit cultoribus aurum;*  
*sarpinus at pedibus turba sacrata viam.*

Simon Henrici  
Chilonio - Holsatus.







Prestantissimo &

Dn. THEODORIC

affini meo mell.


**C**autio facta fuit nullis a  
relligiosa satis simpli  
Exprimet astutas condigne n  
atatis nostra: candor or  
Scripta tabella locum, temp  
testibus ad motis: thetor  
In coram promis panchrestur  
hanc medicaturus quo, ?  
Pergito, tela placet, non am  
justitia invenies queis st  
Baldus equis vebitur, tribui  
sarpimus at pedibus turb

Sir









the scale towards document

um lacte nutricum, qua ut plurimum sunt  
a, leves, incontinentes, & quasvis fabulas  
Plut. in li. πει παιδων, mores corruptissimi  
assumant infantuli: etiam natura ideo  
sistentia lacte dedit, ut ipsa infantulos suos,  
ut Plut.

V.

am legibus non probato amissa repeti hodie  
dolus & fraus qua nemini prodesse debet,  
ns habuerit liberam bonorum administra-  
servatur jus commune. Rybach. quaest.  
4. q. 7. ubi etiam Lipsenses p. 5. consult.  
quaest. 7. pro victore pronunciare ait.

VI.

studioforum pro pensione locationis tacite  
positi censentur? N. Tum quia nunquam  
generaliter continentur ea, qua verisimile  
obligatum non ire, l. obligatione 6. &  
& hyp. tum etiam quia prudentissimè cautis  
ta ad agriculturam necessario pertinentia  
pignoris causa occupentur, l. exactores 7.  
tores C. qua res pign. obl. poss. Id quod  
ad libros studioforum transfertur, per ea  
ad §. item Serviana 7. j. d. act.

VII.

interficiens rivalem ordinaria L. Cornel.  
? A. quamvis enim nihil amoris furore  
videatur, dicente ipso Justin. in N. 74. c.

D

4. 10-